



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Liutprandi Ticinensis Diaconi Opusculum, De Vitis  
Romanorum Pontificum**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Moguntiae, 1602**

XXXIX. S. Damasus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

Matth 16.  
19.

\* eorum.

\* n hil erit

20.

3.7.3.c. de in  
duciis

\* Episcoporu

\* a. 1.

atq; restituantur. Ipse enim Dominus ait. Quaecunque solueris super terram, erunt soluta & in caelis. Quotiens Episcopi se à comprouincialibus vel à Metropolitano putauerint pragrauari, aut eos suspectos habuerint, mox Romanam appellent sedem, atque absq; ulla detentione, & suarum rerum ablatione liberè ire liceat. Et dum prædictam Romanam appellauerint Ecclesiam, aut ab ea se audiri exposcerint, nullus eos, aut excommunicare, aut eorum sedes subripere, aut eorum res auferre, aut aliquid eis inferre præsumat, antequam \* amborum causa Romani Pontificis auctoritate firmetur. Quod si aliter à quocquam præsumptum fuerit, \* nihil eis oberit, sed viribus carere non est dubium. DE induciis verò Episcoporum, super quibus consulistis, diuersas à Patribus regulas inuenimus institutas. Quidam enim ad repellenda Impetitorum machinamenta, & suas præparandas responsiones, & testes confirmandos, & consilia \* eorum, & amicorum querenda annum \* & sex menses mandauerunt concedi. quidam autem annum, in quo plurimi concordant. minus verò quam sex menses non reperi; quia & hæc laicis indulta sunt, quanto magis & Domini Sacerdotibus.

Hic prædictus Papa aliam<sup>b</sup> epistolam scripsit vniuersis spiritualibus fratribus, & reliquis in sacerdotali Collegio Domino cōsecratis, in qua eos studiosissimè hortatur persecutiones & tribulationes patienter sustinere, vt eius filij inueniantur, quem cottidie patrem inuocant Deum in caelis, & vt detrahentibus non detrahant, sed cuncta in spiritu humilitatis peragant, & in patientia longanimitatis, quæ sunt docenda, edoceant.

A. CCCLXVII.

XXXIX.

S. DAMASVS.

DAMASVS, natione Hispanus, ex patre Antonino, sedit annos 18. menses 3. dies 11. Cum isto ordinatur in contentione Ursinus: sed factò Concilio sacerdotum constitutus est Damasus, quia fortior, & plurima multitudo erat. Ursinus autem eiectus est ab vrbe, & Neapolis constitutus Episcopus. Damasus autem postea inuidiosè adulterij arguitur, & facta inde Synodo à \* 48. Episcopis expurgatur: accusatores autem eius Concordius & Callistus diacones à Concilio sunt damnati, & de Ecclesia eiecti. Hic ordinauit Episcopos 72. presbyteros 31. diaconos 11. Hic 2. Idus. Dec. obiit.

Hic in epistola<sup>a</sup>, quã Stephano Archiepiscopo Mauritanie, & vniuersis Africanæ prouinciæ Episcopis destinauit, eos instruit, qualiter Metropolitanos Episcopos, & summa Ecclesiastica negotia discutere liceat, ita videlicet, vt nemo ex eis desit, & omnes in singulorum negotiis concordent, & cætera in eadem ponit, quæ  
& ante-

\* 44.

\* epist. 3.

& antecessores sui constituerunt, id est, de ipsis Episcopis quos damnari non liceat, nec Synodum conuocare canonicam absq; Romanæ sedis auctoritate, de canonica vocatione ad Synodum, de induciis, quas dandas sex mensium spacio in criminalibus Episcopis mandat, de accusatorib. & testibus, quales esse debeant; item de inscriptione calumniatoris, quæ semper primò fieri debet, & q; criminū discussio ibi agitata sit, vbi & ipsa crimina sunt admittā, & cætera, quæ planè iā in prædecessorū suorū decretis supra notauimus.

ITEM prædictus Papa aliam scripsit decretalē<sup>b</sup> epistolam Prospero Numidiæ primæ sedis Episcopo & ceteris orthodoxis Episcopis vbiq; consistētib. de \* Coepiscopis, q; nihil amplius sunt, vel possunt, quā presbyteri, ita inter cætera dicēs. *Nimis iam eorū institutio improba, nimis est praua: quia, ut hi de summo sacerdotii ministerio aliquis presument, omni caret auctoritate, & sacris canonib. videtur esse contrariū, & vacuum, atq; inane est, quicquid in prædicto summi sacerdotii egerint ministerio. Nam nō amplius, quā duos ordines inter discipulos Domini esse cognouimus. Vnde iste tertius pcesserit, funditus ignoramus: & quod ratione caret, extirpari necesse est. Cū enim Episcopi non sint, q; minus quā à tribus, aut qui ab uno vel duob. sunt ordinati Episcopis, nec nominentur Episcopi, si nomen non habent, qualiter officiū habebūt? Idcirco benedictionem, quam prædicti Coepiscopi ante suam prohibitionem per manus impositionē dabant, magis videtur nobis vulnus inferre, quā salutē; quia q; Pontificatus apicē non habebāt, quomodo ea, quæ nō habebant, dare poterant? Quoniam nihil in dante erat, q; ille posset accipere, & propterea magis vulnerabāt capita, quæ p manus impositionē tangebant, quā ea, quæ eis collata non erāt, per aliquam benedictionē darēt. Et vbi vulnus infixū est, necesse est adhibere medicinā, qua infixa sanetur macula, id est, reiterari necesse est, q; legitimè actū, aut collatū minimè approbatur, si perfectum esse debet. Nam quomodo honorem posset retinere, qui ab \* alio \* illo acceperit, qui potestatem dare non habuit legitimè, inuenire non possum: cum ille qui Pontificalem honorē non habuit pontificalia nō potest iura tribuere, nec hoc sibi poterant vendicare, cuius capaces per hoc, q; illis obstiterat, nō fuerunt.*

ALIAM iterum scripsit<sup>c</sup> epistolam prædictus Papa Episcopis per Italiæ prouincias constitutis, in qua accusationem fratrum p scripta fieri prohibet, ita inter cætera dicens. *Leges seculi accusatores presentes exigunt. & non per scripta absentes, vnde canonica Patrum constituta non semel sed sapissime clamāt, nec accusationes, nec testimonia ullū per scripta posse proferre, nec de aliis negotiis quicquid, testimoniū dicant, nisi de his tum, quæ sub presentia eorum acta esse noscuntur. Similiter, & qui accusare alium ebergerit, presens per se, & non per alium accuset, in inscriptione videlicet præmissa, neq; ullus, unquam iudicetur, antequam legitimos accusatores presentes habeat, locumq; defendendi accipiat ad abluenda crimina.*

Hic sententiam Hieronymi Presbyteri de celebratione Missæ cōfirmavit, videlicet, vt die Dominico nullus post tertiā horā diei Missarū solemnia celebrare præsumat. Hic præcepit vt psalmi die, noctuque in Ecclesia canerentur.

## XL.

A. CCCLXXXV

## S. SIRICIVS.

**S**IRICIVS, natione Romanus, ex patre Tiburtio, sedit annos 15. menses 11. dies 25. Hic ordinavit Episcopos 32. presbyteros 31. diaconos 16. Hic de hoc sæculo migravit 8. Kalend. Martij. Hic in epistola<sup>a</sup> quam Himmerio Tarraconensi Episcopo scripsit, baptizatos ab Arrianis, si ad Catholicam fidem festinent, denuò baptizandos esse prohibuit, quia & Apostolus prohibet, & canones contradicunt, & Liberii Papæ decreta post cassatum Ariminense Concilium ad prouincias missa prohibēt, & sola Episcopalis manus impositione Catholicorum conuētui eos sociandos esse asserit. **ITEM** in eadem affirmat, nullo tempore anni, nisi in Dominico Paschæ & Pentecostes quemlibet baptizandum, nisi cum mortis cuiuslibet periculum vrgeat. Iterum illos, qui ad apostasiam transeunt, & idolorum cultu, ac sacrificiorum contaminatione polluuntur, à corpore Christi & sanguine iubet abscindi: resipiscentibus autem, & ad lamenta conuersis pœnitentiam in vita agendam esse, & in fine vltimo reconciliationis gratiam tribuendam esse præcipit. **ITEM** puellam alij desponsatam, ne alter in matrimonium accipiat, inhihet, quia illa benedictio, quam sacerdos nupturæ imponit, si transgressione violetur apud fideles cuiusdam sacrilegii instar est. **DE** his verò, qui acta pœnitentia tanquam canes & fues, ad pristinos vomitus & volutabra redeunt, & militiæ cingulum reperunt, & incontinentes existunt, quia iam pœnitendi non habent refugium, decernit vt sola intra Ecclesiam fidelibus oratione iungantur, à Dominicæ autem mensæ conuiuio separentur. transeuntibus autem de hac vita, viatico munere, subueniri iubet.

<sup>a</sup> epist. 1.

Eph. 4.

27. q. 2. c. de  
coniugali.33. q. 2. de his  
vero.\* purificatio  
rio

**DE** monachis verò vel monachabus, qui se prius clanculò illicita contagione polluerunt, & postea in abruptum conscientiæ desperatione perducti de illicitis complexibus liberè filios procrearint, à monasteriorū cœtu & Ecclesiarum conuentibus eliminandos esse mandauit, vt in suis ergastulis retrusi \* purgatorio possint pœnitentis igne decoqui, vt eis saltem ad mortem solius misericordiæ